Quamvis ex praedictis sparsim possit haberi descriptio civitatis sanctae Jerusalem, hic tamen singulariter eam describam et statum ejus, non quidem recitando, qualis ab antiquo fuerit, sed qualis nunc sit. Multiplex enim invenitur ejusdem civitatis descriptio secundum ejus antiquam faciem, ut in Josephi libro VI. de bello Judaico Cap. 8. Et Magister in Speculo Historiali, L. 26. c. CIII. et dominus Antonius in Chronicis Part. II. T. 16. c. 13. et cap. 6 etc. et in supplemento chronicor. L. 8. fol. 15. et Frater Burcardus Ordinis Praedicatorum in libello descriptionis terrae sanctae eam civitatem luculenter describunt. Nonnulli etiam antiqui et moderni ejus formam in chartas depinxerunt, et ita tam in scriptura quam in picturis potest videri figura desiderabilis civitatis, de qua et ego conabor aliquid explicare. Si enim oblitus fuero tui, Jerusalem, oblivioni detur dextera mea, adhaereat lingua mea faucibus meis, si non meminero tui. Sed ut hoc clarius facere valeam, annexui descriptioni civitatis sanctae descriptionem templi Domini, quod nominant Salomonis, et templi ecclesiae sancti sepulchri, quod vocant Anastasis. Sine enim illorum duorum templorum descriptione non potest notificari status civitatis sanctae, cum omne bonum civitatis et omne malum a templis illis processerit, omnis ejus aedificatio et destructio, omnis ejus sanctitas et malitia ab eis dependet, secundum Chrysostomum. Occupant etiam illa duo templa magnam civitatis partem cum suis atriis. Ideo in civitatis descriptione concurrere necesse est.

© Stadtbibliothek Ulm, 2010. Signatur: 16 739-3;